

V. 8.

~~H. III. 28.~~

No 11

13

14

DISSERTATIO IN AVGVR ALIS MEDICA
SISTENS MEDITATIONES
DE

VI CONSVETVDINIS RATIONALITER EXPLICANDA

QVAM
P R A E S I D E

D. JOANNE HENRICO SCHVLZE
MEDICINÆ ELOQUENTIÆ ANTIQVITATVM ET
PHILOSOPHIÆ PROFESSORE PVBLICO
ORDINARIO

ACADEMIÆ CÆSAREÆ NATVRÆ CVRIOSORVM ET
REGIÆ SOCIETATIS SCIENTIARVM BERO-
LINENSIS SODALE

PRO LICENTIA
GRADVM IVRA ET PRIVILEGIA DOCTORALIA
LEGITIME OBTINENDI

a. d. Novemb. M DCC XXXIV.

PVB LICO ERVDITORVM EXAMINI SVBIICIET
AVCTOR ET RESPONDENS
DANIEL GOTTFRIED MVLLER
LIGNICENSIS SILESIVS.

HALAE MAG DEBURGICAE

Typis JO. CHRIST. HILLIGERI, Acad.Typogr.

Q. D. B. V.
DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
SISTENS MEDITATIONES
DE
VI CONSVENTUDINIS
RATIONALITER EXPLICANDA,

PRÆFAMEN.



E consuetudinī vi magna in rebus ad corpus nostrum, eiusque valetudinem pertinentibus acturus, de modo quam in hac tractatiuncula tenebo, paucis oportet præfari, non tam quia consuetudo postulat proœcīum, quam ut lectorem de consilio meo præmoneam. Omnes loquuntur & profitentur medici, adsuescendo fieri posse, ut præstent & tolerent homines, quod ante a vel facere vel perferre impossibile illis erat. Quum de eo cogitarem causasque tantæ mutationis, quam corpori infert, requirerem; visum fuit ex mathematicorum doctrinis, quibus aliquantum studii impendi, ea in subsidium advocate, quæ ad motus leges pertinentia didiceram. Ea itaque tan-

A 2

quam

quam principia, quibus niterer, præmittenda iudicavi primis VIII. paragraphis; deinde demum ad rem ipsam progressus sum. Superest ut benvolum lectorem rogem, velit primo conatui litterario favere, & suo favore supplere, quicquid virium mearum imbecillitas perficere non valuit.

§. I.

QUANDO stupendum illud systema, mundum putto, majori intuemur attentione, animadvertemus, illud ex innumeris aliis corporibus, tanquam ejus partibus esse compositum; quorum singula ulteriori disquisitioni submissa, denuo in partes adhuc alias minores, a se in vicem distinctas, actu divisa deprehenduntur, ita quidem, ut essentia unius cuiusque in modo compositionis ex diversitate partium & combinationis determinatione consistens, haud difficultate labore a reliquis distingui possit atque separari. Corpus humanum, quod nihil aliud est, quam pars hujus praesentis mundi, non minus in numero entium compositorum est collocandum; quippe quod, in genere consideratum, ex solidis & fluidis constat, quorum haec novum aggregatum variarum particularum heterogenearum, testantibus Anatomia & Chymia, constituunt. Quum vero compositum, cuius efficacia in fabrica sua rationem sui sufficientem continet, machina adpelletur: corpori quoque humano hoc nomen competere quilibet sponte concedet; siquidem omnes, quæ in illo occur-

currunt, operationes naturales ac vitales ad regulas motus structuræ convenientes sequuntur. Exemplo sit mechanismus cordis, quem si paullo accuratius contemplamur, ita ordinatum cernimus, ut omnes motus, qui ab ipso producuntur, vi hujus ordinis sint possibles. Namque ex fibrarum tum circularium, cum spiralium contorsione & tensione, mutuoque earum complexu oriuntur magnæ illæ actiones, quarum, systole atque diastole dictarum, ope sanguis in corde contentus exprimi, ac in canales cordi annexos; nimirum arterias & venas, consequenter per totum corporis ambitum propelli potest: quemadmodum e contrario, musculis cordis discissis, vel alio quovis modo lœsis, extemplo omnis cessat agitatio, sanguis in suis canaliculis subsistit, breve que ipsa mors sequitur.

§. II.

Corpora composita cum sint congeries partium minimarum; nec necessario eidem inhærent loco; separari a se invicem ac dividi possunt. A divisibilitate corporum vero pendet ratio, cur ad movendum, augendum & diminuendum fiant apta i.e. quoniam modo quodcunque eorum mutationum tam intrinsecarum quam extrinsecarum particeps fieri debeat. Verum enim vero nulla datur mutatio possibilis, nisi quæ sit vel in figura, vel in magnitudine, vel denique in partium situ: (sic v.g. quoad figuram & magnitudinem corpus cylindraceum in sphœricum, regulare in irregulare, majus in minus, & sic vicissim converti potest, inferro autem candente & corpore elasto partium tantum situs variatur) talis autem mutatio sine motu cogitari nequit, unde se-

A 3

qui-

quitur, corporibus nullam aliam accidere posse mutationem, nisi quæ motum pro sua agnoscit causa. Quantum in hujus rei cognitione ad intelligendas & explicandas corporis humani affectiones situm sit, quotidiana docemur experientia. Quis enim animatorum pariter ac inanimatorum incrementa & decrementa, generationem & nutritionem, constructionem & dispositionem intelligibili modo sibi concipere posset, qui hac cognitione haud satis instructus esset. Corpus humanum, si cultro subjicitur anatomico, itidem compositum esse ex diversis & inter se penitus discretis partibus, carne nimirum, ossibus, membranis fluidisque varii generis experimur: quæ omnia in corpore vivo non solum motu gaudent; verum etiam quotidie tam ratione magnitudinis, quam figuræ, partiumque situs suam mutant faciem. Hinc illud jure meritoque in numerum entium compositorum esse referendum, haud indiget ulteriori probatione.

§. III.

Corpus in motu constitutum vi agendi præditum est: sed vis motiva corporum, unde actiones eorum pendunt, vocatur natura: Patet porro ex staticis, vires corporum vivas seu activas deprehendi in ratione composita ex simplici scilicet massarum & duplicata celeritatum. Hanc naturæ legem, uti in macrocosmo, ita quoque in microcosmo vigere, norunt illi, qui majori cura ac solertia ad res naturales indagandas sese accingunt. Quid aliud est pulsus arteriarum, quam productum ex massa sanguinis in celeritatem, qua fertur? hujus beneficio medicus experitur vires in corpore præsentes, & num sint naturales, anne præternaturales, exacte dimentiri

tiri valet. Res sane magni momenti, quæ ad morbos
djudicandos, ac indicationes rite formandas multum
confert! Dolendum equidem quam maxime, quod no-
titiam de pulsu claram ac distinctam non solum veteres,
sed etiam plurimi recentiorum multis contaminarint
hallucinationibus: quemadmodum idem clarissime o-
stendit *Illustris HOFFMANNVS* in libro suo systemati-
co sub titulo: de rationali pulsuum explicatione ibidem-
que profunda hac cœcitate laborantibus sufficientem ac-
cedit lucem: sed verendum, utor verbis *Viri Excellen-
tissimi*, ne nunquam discant, quæ nunquam didicere.

§. IV.

Attenti ad rem observamus, materiam motui refi-
stere: etenim non omnis vis motrix ad corpus quod-
cunque movendum sufficit, sed pro magnitudine gravita-
tis specificæ atque voluminis vi opus est diversa. Ve-
ritatem asserti fatis illustrant experimenta. Sic corpus
durum densumque difficilius comminuitur, quam molle,
& cujus partes laxius cohærent, quod jam in motu con-
stitutum, minorem vim ulterius movendi requirit quam
quiescens. Iis, qui operationibus intersunt chymicis,
probe cognitum est, intensiorem ignis gradum adhiben-
dum esse, quando solida invase ascendere debent, quam
cum fluida sunt pellenda. Simile quid observamus et-
iam in corporibus organicis, & ipsis animatis. Respe-
ctu posteriorum quædam adhuc alia lubet afferre
exempla; eo, quod intentionem nostram ad mutationes
corporis humani rite explicandas, hoc potissimum ope-
re dirigimus. Aér gravior, tanquam motui pulmonum
insigniter resistens, liberiori respirationi multum officit,

quia

quín resistentiam suam haud raro ad suffocationis usque metum extendit. Cibi duri, aut largiori quantitate ingurgitati ventriculum & intestina magis premunt, motumque eorum peristalticum magis retardant, quam moliores, & minori copia ingesti: id quod s̄epius videre licet in subjectis pr̄sertim tenerioribus, ubi assumta maximam partem indigesta, minusque dissoluta, per utrumque guttur, superius & que ac inferius haud raro rursus eliminantur. In medicamentorum applicatione materiae in corpore h̄arentis indoles diligenter perpendi debet, ne ratione doseos peccemus: sic massa evacuandorum existente viscidiore tenaci, qualis est in subjectis frigidis, cachecticis & hydropticis, medicamenta alterantia & evauantia liberaliori manu sunt propinanda; quibus e contrario parcus utendum humoribus jam in motum concitatis, quemadmodum id fieri solet, in nimio sanguinis orgaismo, dysenteria, aliisque similibus affectibus.

§. V.

Motus corporum dicitur compositus, qui a pluribus quam una vi producitur, quarum multitudo sub nomine virium conspirantium venit: quare requiritur, ut earum directiones sibi mutuo non repugnant. Ad explicandam & determinandam harum magnitudinem mechanica nobis viam pandit, ubi sub figura rectilinea parallelogrammi speciem pr̄ se ferente oculis subjicitur, atque simul demonstratur, velocitatem in motu compagno esse majorem, angulo directionis usque ad rectum existente minori. Res minime floccipendenda, pr̄sertim in concipiendis motibus muscularum in corpore ani

animantium obviis. NICOL. STENONIS multa cum sedulitate constructionem muscularum, partiumque eos constituentium situm per vestigans invenit, fibras tendineas cum carneis non eandem servare directionem, sed priores cum posterioribus angulum constituere obtusum, ita quidem ut fibrae tendineæ secundum plagas oppositas sitæ sint, cumque interjacentibus carneis figuram efformant rhomboideam. Ventre igitur musculari redditio breviori, prædicti anguli obtusi ad rectum proprius accidunt, sique figuram parallelogrammo æqualem efficiunt. Vim vero motricem secundum angulum rectum applicatam esse maximam, mechanicis competitum est. Quando ad actiones, quæ in machina nostra & ab ipsa producuntur, dirigimus obtutum; jucundo deprehendimus spectaculo, quod semper motum unum innumeri sequantur alii in certo ordine sese invicem excipientes. v. g. simplex manus vel pedis actio quot quæsio motus muscularum in his partibus contentorum non complectitur: Linguæ motum esse complicatissimum nemo dubitat, & in genere plerique muscularum non ad unicam, sed ad complures actiones, uno eodemque tempore suscipiendas, vi structuræ & combinationis cum aliis partibus deprehenduntur promptissimi.

§. VI.

Quæ corpora, postquam fuere compressa, propria vi in pristinam resiliunt figuram, nomen elasticorum sibi vindicant. Vis igitur elastica consistit in perpetuo nisu secundum eandem directionem, & æquatur vi percussione, qua partes corporum in se mutuo impingentium

B.

com-

comprimuntur. Quando autem indagamus, quidnam corporibus tempore concussionis atque compressionis aceidat, nihil aliud invenimus, quam quod eorum porti reddantur minores, partesve totum constituentes arctius inter se coeant: unde verisimile est, quando ad figuram redeunt priorem, quod materia in intersticiis illorum ante contenta, nunc vero expulsa, vel statim relabatur, vel compressa & egredi nescia, impedimento remoto, iterum se expandat. Materia hæc a Physicis interlabens dicitur. Certitudinem phœnomeni experimenta physica comprobant. Duo corpora ejusdem gravitatis & magnitudinis, elatere instructa æquali vi, sed secundum contrarias directiones impingentia, post conflictum immutata facie a se invicem recedunt, manifesto indicio, figuram suam vi, qua gaudent, elasticæ fuisse restitutam. Sic funis fortiter extensus mox iterum sese contrahit, causa extensionis adempta. Ex physiologicis nobis innotuit, fibras in corporibus animantium motrices motu quodam, tonico dicto, pollere; quo ad se contrahendum & dilatandum redundunt validæ, cuiusve beneficio fluida in cavitatibus eorum comprehensa ulterius propelluntur, atque secretiones & excretiones, nec non ipsa nutritio absolvuntur: hunc motum *Excellentissimus HOFFMANNVS* in suo systemate recte adpellat vitalem. Cruori, tanquam parti fluidæ ejusmodi vim elasticam minime denegandam esse, ii facile concedent, qui vera cognitione physica sunt imbuti: siquidem omnia fluidorum, qaa talium, prædicata, sanguini quoque nostro competunt. De reliquorum humorum virtute expansiva plura

plura tradere; superfluum esset; quicquid enim competit generi, specier quoque competere debet.

§. VII.

Quotidiana didicimus experientia, corporis celeritatem minui, si in aliud quiescens incurrit. Demonstratur autem in mechanica, corporis elasticis, in aliud quiescens incurrentis celeritatem, post conflictum esse ad celeritatem ante eundem, ut differentia ponderum ad eorundem summam. Porro si corpus elasticum in aliud æquale, sed tardius motum, impingat, post ictum ambo, permutatis celeritatibus; secundum pristinam directionem incedere. Quando diligentius consideramus, quæ in hisce affirmantur theorematibus, utilitatem in applicatione ad circulum sanguinis haud contemnendam reperimus: per prius enim non solum explicatur modus, unde concipere licet; quomodo motus sanguinis in suo a corde progressu retardari queat; sed & quantitas celeritatis mutatae omnimode determinatur. Postquam circulatio ab HARVÆO inventa; & scientia anatomica melius exulta fuit; nunc scimus sanguinem e cordis cavitate summo cum impetu in arterias protrudi; sed cum hoc modo vis ilius resistentia harum laterum insigniter infringatur; brevi omnis progrediendi conatus extingui posset. decrescit quippe sanguinis celeritas post pulsum quemcunque in ratione differentiæ ad summam ponderum vel gravitatum specificarum sanguinis atque arteriarum: itaque per theorema sequens ab impetu sanguinis expulsi, illi qui jam in arteriis hæret, novum calcar, quod insuper continua illarum pulsatione suffultum est, additur, sicque perenni, pervascula etiam

iam minima, motui circulatorio via panditur; actu vero utroque vires tam motrices, quam inertiae ita modificantur, ut exinde motus sanguinis robori vasorum sanguinum proportionatus emergat. Cum denique probabile sit, arterias minimas omnes junctim suntas capaces esse ipsarum trunko, hac quoque ratione sanguinis velocitas in illis retardatur, & consequenter secretionibus diversorum humorum in vasculis minimis perficiundis sit conformis.

§. VIII.

Si corpus grave ope polyspasti vel sustentari vel moveri debet, necesse est, ut funes in hunc finem applicati inter se sint paralleli, vel parum ab eodem situ recedant, & tunc erit pondus ad potentiam, ut unitas ad numerum funium simul sumtorum, excepto illo, ad quem potentia applicatur. Quantum hoc modo vis movens augeatur; quilibet intelligit, qui in mechanicis non reperitur hospes. Partes, quæ in corpore animalium nervi dicuntur, partim ad movendum partim ad sentientium conditas esse, ex physiologicis notum est: ligato enim nervo, vel plane abscisso, musculus ad quem tendit, & cui implantatus est, mox omni privatur motu. Quando fabricam & applicationem nervorum paullo intimus contemplamur; magnum inter hos & polyspastos observabimus similitudinem: namque plurimi illorum & quidem præcipui majori ex parte deprehenduntur, quod ibidem inter se sint paralleli, multis insuper instructi gangliis atque plexibus, quorum præsertim priora verisimiliter nihil sunt aliud, quam trochlear compositæ, quibus potentia illorum augetur. Nervi autem utrin-

utrinque recurrentes optime cum funibus circa cochleam ductis comparari possunt. Cum enim tanta propagine a cerebro excurrentes inque cavitatem thoracis descendentes, tunc denum arteriis circumligati, ad partem movendam, laryngem scilicet, redeant: non aliam ob causam id fieri videtur, quam ut eandem obtineant directionem, qua mediante ad trahendos vel comprimendos musculos, quibus inseruntur, fiant & aptiores & fortiores; siquidem probabilius est nervos vi sua elastica magis trahendo & constringendo musculos, quam injiciendo vel infiltrando (uti vult WILLISIVS) fluidum quoddam in cavitates fibrillarum muscularium munere suo fungi. Probabilitatem hujus sententiae confirmant tam observationes LOWERI, quam experientia GLISSONII, quibus in indagandis muscularum actionibus usi sunt. Vterque enim adfirmat, musculum in motu constitutum, non densiorem, sed minorem & du riorem fieri; cuius rationem non in infiltratione, sed potius in tensione querendam esse censeo: credere igitur, nervos instar polysspatorum opus suum perficere, experientiae non minus, quam rationi respondet.

§. IX.

Quoniam per haec tenus dicta satis evictum est, corpus humanum corporibus compositis; quin & ipsis machinis accensendum esse: sequitur ex ejusdem structura, textura & mixtione mutationum, quae ipsis accidentunt, reddi quoque posse rationem. Mediis itaque instructi necessariis, cirato pede, via que probe trita, nunc accedimus ad scopum propositum. Dissertatio autem nostra fert nomen meditationum de VI CONSVETVDINIS

NIS rationaliter explicanda. Quid vero sub hoc consuetudinis nomine intelligamus, prudens Lector haud inique quæret. Consuetudinem dispesci in moralem seu iure confirmatam, & physicam proprie dictam, ex usu vocum constat. Hujuscemodi divisionis instituere examen curiosum, sive criticum, non est mei propositi, nec officii: mihi hic cum consuetudine physica solum modo res esto. Ad eandem rite definiendam, & definitam ab omnibus aliis corporis attributis distinguendam, necesse est, ut antecedentia diligenter in animum revoce-
mus. Dictum est in superioribus, corpus vivum esse corpus compositum, eique nullam aliam accidere posse mutationem, nisi quæ sit mediante motu vel in figura, &c. quoties igitur corpus quoddam mutatur, mutationem in prædictis proprietatis unice querendam esse, extra omnem dubitationis aleam positâ res est. Quando rei cuidam assuefcamus, obseruamus nos nunc perferre posse, quod alio tempore absque tædio atque sensatione dolorifica, imo ipsius sanitatis periculo perpeti minime valebamus; luculento indicio, corpus mutationem quandam subiisse, quæ novam vel motus vel massæ determinationem successive factam pro suis agnoscat natu-
libus, ita quidem, ut vis prior vel subsistat, vel sensibili-
liter non alteretur. At vero virium, quas corpus in motu constitutum seu vivum edere valet, æstumatio-
nem in numero partium solidarum & qualitate fluidarum, determinata celeritate latarum consistere, ante-
cedentia loquuntur: quibus edocetis, factum ex massa in celeritatem dare vires, nobis adhuc cognitum est. Su-
perveniens igitur corporis mutatio, vi vel subsistente
eadem,

eadem, vel sensibiliter non alterata, nos docet, illius vel magnitudinem, vel figuram, vel partium situm, vel motum denique ipsum tuisse mutatum, ut adeo consuetudinem per, novam virium corporis determinationem ex prægressa massa vel quantitatis & qualitatis, vel ejusdem celeritatis mutatione successu temporis factam, ita quidem, ut sanitatem subsistente integra nunc agere vel ferre possimus, quod alia vice sine dolore aut notabili incommmodo fieri nequibat, definire nihil obstet.

§. X.

Corpus vivum humanum compositum est ex partibus solidis atque fluidis; ut fluidæ in perpetua conserventur circulatione; motus omnino requiritur solidatum, quod ex ipsa machinæ structura elucet: solidæ autem moveri nequeunt, nisi mediante fluido quedam in interstitiis eorum hærente ad movendum fiant aptæ, uti patebit ex sequentibus, Anatomie beneficio scimus, quod partes solidæ ex canaliculis minimis, speciem filorum subtilissimorum habentibus, quorum plures vaginalis majoribus obvelantur, omnes autem in cavitatis suis fluidum quoddam, laterum crassitiei proportionatum recondunt, contextæ sint. Præter hanc fabricam singulorum ad applicatio & combinatio ita comparata est, ut exinde vi legum motus, omnes actiones possibles produci queant. Ad hæc quædam ex prædictis filamentis tali modo constituta reperimus, ut attacca levissimo sese contrahant, impedire toque remoto, pristinam suam recipiant figuram; quæ affectio a recentioribus motus tonicus sive vis elastica appellari suevit. Sed cum motus iste a partibus solidis, qua talibus,

pro-

progigni nequeat, utpote solum modo gravitate, qua continuo versus centrum terræ tendunt, se se exferunt: veritati nos proximos fore credo, si fluido cavitatibus solidorum inhærenti hanc virtutem competere affirmamus. Ejusmodi motum solidorum fluidorumque reciprocum naturam corporis complecti, ex præcedentibus colligi potest: & ab ipso tam vitam quam sanitatem suos mutuari natales; omnes mechanice philosophantes prædicant. Itaque omnem rei cardinem in illo motu verti nemo disceptabit. Quoniam autem motus ille tonicus, sive vis elastica toties alterari potest, quoties gravitas fluidorum vel solidorum specifica variatur: naturam innumeris mutationibus esse obnoxiam, quilibet mecum concedet. In antecedentibus consuetudinem definivi, quod sit nova virium corporis determinatio sanitate subsistente integra: quamprimum igitur in corpore observatur, quod antea non inerat, i. e. actiones a præteritis satis distinctæ, sanitas vero nihilominus subsistit, per modum consuetudinis id factum esse, recte judicatur. Quis ergo porro dubitet, ad consuetudinem nihil aliud requiri, quam motus tonici alterationem determinatam, consistentem in gravitatum specificarum, solidi nimirum & fluidi quantitate permutata, sanitati tamen conformatiter.

§. XI.

Cum consuetudo sit actus, cuius subjectum est sensatio! eundem corporibus solummodo animatis competere certum est. Sensatio autem fit in cerebro mediante motu per organa sensoria producto. Excitantur scilicet in illo, vi quadam objectorum externorum in di-
cta

cta organa impulsiva facta, idex materiales sive imagines: quod nemini alienum sive paradoxon videbitur, perpendenti, organa sensoria insigni nervorum copia esse dotata, Sed nervi sunt instrumenta sensationi propria, consentientibus omnibus veram physiologiam callentibus: illorum origo est ipsum cerebrum, ex quo omnes egrediuntur, & per vasā uniuersi corporis disseminantur; hinc fieri potest, ut motus in organis sensoriis producti perferantur usquead cerebrum, & quidem eodem ordine, quo excitati fuerunt ab objectorum impulsibus, consequenter imago omni ex parte objecto similis substantiæ cerebri imprimatur: pro diversitate enim & modificatione impulsuum ab objecto in organis sensoriis excitatorum, etiam excitantur in diversis cerebri punctis, motus illis proportionati; hi motus fiunt majores vel minores, prout elater fluidi nervei plus vel minus intenditur, hinc sensatio nunc vivacior, nunc impeditior. Experientia autem testatur, ex sensatione nimis aucta oriri dolorem, ex nimis suppressa stuporem atque immobilitatem, ex utrisque multa sanitati noxia symptomata: igitur si alicui rei aduersitate debemus, necesse est, & ex præfatis sequitur, ut sensationum mutationes legibus motuum ad sanitatis gradum tendentium fiant conformes.

§. XII.

Vt vitam tueri, corpusque nostrum ab interitu immne conservare possimus; in primis sex rebus non naturalibus dictis opus habemus: sed ipsas tam ratione temporis atque loci, quam ratione objectorum & subjectorum effectus producere non eosdem, ab experientia peti

C

peti potest: ita non semper eodem fruimur aere, sed eundem mox calidum, mox frigidum, nunc siccum, nunc humidum &c. deprehendimus; quanta vero sit cibi potusve varietas, lingua cujuscunque testabitur. Ex physiologicis porro compertum habemus, nutritionem corporis absolvit beneficio circuli sanguinis in vasis eidem propriis, quorum sane magnus prostat numerus, & a quibus majora semper dirimuntur in minora, hæc autem ulterius in minutissima, oculos plane fugientia, quæ cum a fluidis crassi sculis parum differant, gravitatemque specificam fere eandem cum ipsis habeant, horum appositiō sive cohæsio ad latera illorum inde fit conceptibilis. Si enim consideramus, innumera vasa lymphatica ex vaseulis minimis, in quibus sit nutritio, oriri, fluidumque specificē levius per illa identidem auferri; aliter fieri nequit, quin id, quod relinquitur, redatur simul crassius, majorique gravitate specifica præditum æquale fere eidem quam habent ipsa vascula. Per appositionem sive cohaesione ejusmodi fluidorum ad latera vasculorum minimorum non solum partes per transpirationem & excretionem amissæ restituuntur, sed moles insuper atque robur solidorum augetur. Cum itaque totum nutritionis negotium in motu materiae cujusdam per vasa minima consistat, materia autem motu resistat, quemadmodum ex superioribus patet: nutritionem tot alterationum esse caparem, quot gravitatis spccificæ materiae nutritivæ sunt possibles, nulla indiget demonstratione. Quum porro istæ gravitates vel maiores vel minores esse possunt; in casu priori partes æctius inter se cohærebunt, motui solidorum offl-
ciendo;

ciendo; in posteriori cohæsio erit laxior; similem exinde solidorum naturam constituendo. Interim cum omnis naturæ alteratio sensationem parit vel gratam vel minus gratam seu dolorificam; ne excitetur posterior, necesse est, ut mutationes corpori accidentes non sint nimis distinctæ sive sensibiles. Ex quibus omnibus colligitur, rebus non naturalibus non nisi naturæ corporis parum inimicis, vel gravitatem ejus specificam non sensibiliter mutantibus, & quidem usu moderato, justo tempore atque ordine legitimo utendum esse, si confuetudo alicujus rei feliciter succedere debet.

§. XIII.

Ad meliorem eorum, quæ hactenus dicta sunt, dilucidationem, specifica quedam ratione usus & effectuum sex rerum non naturalium in medium afferre, non abs refore censeo. Aer calidus & siccus calorem corporis nostri non solum auget, sed simul sanguinem, omnesque humores potenter resolvit, vasa extendit, hinc serum dissipat, sanguini spisscentiam ac lymphæ acrimoniam inducit. Ut igitur aëri calidiori assuescamus, opus est, ut talibus utamur, quæ calorem sanguinis imminuant, fluiditatem ejus restituunt, atque acrimoniam demulcent; quod fit bibendo copiosius, victum tenuem, motumque corporis parciorem eligendo. Contra aëre existente frigidiori & humidiori, calor corporis aufertur, transpiratio insensibilis impeditur, partes salino sulphureæ atque serofæ per transpirationem secernendæ retinentur, fibræ sese constringunt, cohæsio omnium fit major: unde influxus sanguinis & humorum oritur inæqualis, sive tremor & refrigeratio

C 2

par-

partium extremerum, innumeraque alia excluduntur mala. Ut ideo frigus perferre discamus, motus omnino requiritur fortior, atque continuus, cibi duriores, potus spirituosior. Sed quid dicamus de esculentis & potulentis, quorum tantus prostat numerus, ut nostri propositi limites longe transgredemur, si singula ad examinis rigorosi iudicandi revocare vellemus. Nobis ergo sufficiet, sub titulo generaliori virtutes atque noxas illorum contemplari, eorumque actiones in corpus nostrum, quatenus cum sanitate subsistere queunt, scrutari. Quoniam omnia, quæ corpus ingrediuntur, ad duo capita reduci possunt, nimirum quod sint vel facile resolubilia, vel minus talia; priora minorem ventriculi ac intestinorum vim requirunt posterioribus: sed cum vis ista non in quolibet homine, neque individuo per se considerato, omni tempore & quoconque modo sit eadem; fieri potest, ut ingesta facile noxam inferant, vel ad minimum sensationem ingratam pariant. Ut igitur iisdem assuescamus, consultum est, ut assumentur taliquantitate, quæ motui peristaltico ventriculi ac intestinorum minus officiant, vel eundem sensibiliter non mutant, multo minus ipsum successive pervertunt.

§. XIV.

Cum itaque consuetudinem actus efficiant successivi, quorum antecedentes in se continent rationem frequentium; hos intelligere possumus, illis nobis perspectis redditis, eonequenter ipsam consuetudinem. Etenim si quis alicui rei assuefieri debet, quam antea abhorruit, vel perferre haud potuit, necesse est, ut motus cor-

corporis insensibiliter alterentur. Motus producuntur a viribus in corpore vivis; vires massam cum celeritate, qua fertur, conjunctam pro causa habent; facta massarum in celeritates ineunt virium rationem; ratio major est, cuius exponens major est exponente alterius; quid sit ratio minor, per se patet. Motus igitur insensibiliter alterati erunt exponentium rationum differentiae infinite parvæ; consequenter & actus consuetudinem absolventes successivi ex harum differentiarum determinatione innotescunt. Ponamus, ut rem exemplis quoque illustremus, vires corporis sani esse numero 100 æquales; factores autem hunc numerum ineuntes, celeritatem scilicet æqualem numero 1. massam corporis æqualem numero 100; ergo factum erit æquale 100. Nunc corpus rei alienæ assuescat, & afficiatur ab eadem ita, ut celeritas tantum, qua massa in illo moveatur, augeatur ad $\frac{1}{3}$ copia masse permanente eadem: tunc factum siue vis mutata æqualis erit $100\frac{1}{3}$; a qua cum status corporis sensibiliter non alteretur, sanitas integra subsistit. neque res peregrina illi quocunque modo officit: Iteratis igitur vicibus ascendendo semper cum celeritatis augmento ad $\frac{1}{3}$, ductu temporis consuetudo cujuscunque rei inducitur: quod vero hic de celeritatis mutatione dictum, valet quoque de mutatione massæ.

§. XV.

Hactenus loquuti sumus de consuetudine, quatenus corpus se gerit passive; sed datur adhuc alia, quæ illo in actu constituto inducitur. Ita nonnunquam motus producuntur siue ingignuntur periodici, qui statis

C 3

tis recurrent temporibus e. g. corpus nostrum afficit ad certum tempus res quædam sensationem valde gratam in nobis excitans, vel aliam ingratam adimes; tempore igitur illo redeunte, motus existunt præteritis æquales. Ponamus nos hodie post cibum haustulum spirituosum superingessisse, qui calorem ventriculi auctiorem, sanguinis circulationem vegetatiorem, concoctionem vero faciliorem reddidit; crastino die reiterato ciborum usu, appetitus cujusdam spirituosi cibis ingestis superaddendi simul excitabitur: sic accideere potest, ut urgente necessitate mox post assumptum prandium vel cœnam alvum deponas; quam actionem, quippe quæ in corpore, dum hoc ab onere sibi haud parum molestio liberatur, admodum amicam excitat sensationem, alia vice circumstantiis prope iisdem existentibus, naturam fore repetituram, credibile est. Similiter usus Tabaci in primis sternutatorij nares multorum mirifice demulcit; siquidem blanda sua titillatione nervos olfatorios stringendo, sensationem admodum jucundam in substantia cerebri excitat, imaginem gratam, eidem insculpit: quoties itaque hæc iterum repræsentatur, toties sensatio illa cum appetitu priori denuo reviviscit. De hisce phænomenis rationem reddere, non adeo difficile erit, modo diligentius perpendamus modum atque ordinem, secundum quem perceptiones in cerebro efformantur. Quando rei cujusdam, quam aliunde percepimus, consciï fieri debemus, necesse est, ut hanc ab omnibus aliis sedulo distinguamus; nunquam enim nobis sola obvenit, sed variis semper ab ipsa tam ratione loci, quam ratione combinationis & relationis diver-

diversis conjuncta est : ut itaque rei præteritæ recordari queamus , ad minimum una vel altera ex ejusdem coëxistentibus nobis cognita reddatur , necesse est ; tunc enim nec reliquæ latebunt , imo res ipsa quæsita redibit in memoriam . Hujus dicti veritas , eum experientia confirmetur , omni caret dubio : scilicet haud raro contingit , ut illius minime reminisci possimus , cuius alio tempore claram atque distinctam habebamus ideam ; quamprimum autem unius tantum ex circumstantiis , per quas illud tum erat determinatum , sit mentio , statim , integra imago olim percepta in cerebro resuscitur . Adfirmavi § . XI . imagines oriri a motu in organis sensoriis , vi nervorum dicta organa ingredientium , vel eadem constituentium , concitato , & ad cerebrum usque delato ; nervos sensoriorum cum nervis reliquarum corporis partium arctissime connecti , neminem fugit , qui operationibus & demonstrationibus anatomiciis attenus interfuit , vel ejusmodi scripta perlegit ; imo ipsa nos docet experientia , a motibus sensuum semper nasci alios , membra corporis nostri reliqua diversimode determinantes , & vice versa . motus cujuscunque membra sensus simul incurrere . Unde clarissime perspicietur , ideas præteritas reproduci posse , motibus in organis sensoriis sub eadem determinatione etiam partiali tantum existentibus ; motus vero eosdem in corpore reviviscere ; ideis , quæ olim in cerebro vigebant , nunc redeuntibus . Interim cum idearum identitas in sensationum indiscernibilitate , motuum vero in corpore identicorum reproducacio in massarum celeritate atque directione eadem consistat , hæc ultimæ vero innu-
meris

mēris subjiciantur mutationibus, fieri potest, ut ideas priores refulgentes non semper sequantur in quacunque corporis parte motus illis correspondentes, vel eandem actionem reproducentes, adhac consuetudo posterior saepe tollit priorem, longeque aliam corpori inducit faciem, quæ motus alios sibi consuetos plane respuit. Quicquid ætas, vita genus, locorumque situs hoc conferant, cujuscunque proprio relinquitur iudicio.

§. XVI.

Materiam motui resistere, tanquam rem nobis satis perspectam consideramus: resistentiae vero causa in quo quæso consistat, nisi in ipsius materiæ vel multitudine, vel gravitate specifica, non neglecta ejusdem figura, a qua omnis motus pendet directio. Dubito quenquam ex Lecturis fore, cui non per experientiam cognitum sit, pondus duplo gravius altero, vim quoque requirere duplicem, imo nonnunquam multiplicem, si moveri debet: & ne alienis, sed physicis atque medicis utar exemplis, benevoli lectoris memorie ipsum corpus humanum submittam. Experimur hominem valde obesum, & prægrandi corporis mole præditum, ad actiones, quæ citatiorem motum requirunt, suscipendas minus esse habilem; porro phlegmaticum nec non melancholicum in omnibus ejus operationibus segnem, difficilem & tardum invenimus; non minus gulonem crapulis deceptum & occupatum ad quem cunque laborem ineptum deprehendimus, unde etiam adagium invaluit, quod plenus venter nec libenter studeat, nec laboret. Juvenis, cujus fibræ sunt flexiles, & admodum

dum agiles, quas abundans spirituum subtilissimorum rivulus semper perfluit, omnino senem fibris densis rigidis, sanguinem calore naturali magna ex parte orbatum vehentibus præditum, alacritate, vivacitate, ac agilitate antecelfit. Nimia fluidorum, præsertim cruris abundantia in plethoricis respirationem reddit difficultem, hinc præcordiorum anxietates, viscerum obstrunctiones & scirrhescientiam, imo apoplexiā atque paralyſin in corpore progignit. Ab ipsa materiæ renitentia, motuumque lusflaminatione majori vel minori, ratio differentiæ, quæ temperamenta intercedit haud dubie est petenda, Omnes morborum species causas suas ac originem ex natura & conditione materiæ, tanquam communī fonte mutuantur: per eandem rite explicari potest, cur quidam præ aliis facilius ægrotent, diutiusque a morbis divexentur; quid? quod ipsas affectionum animi permutationes, earumque analyſin ad hunc censum referri debere contendam. Hinc me multo minus a veritate aberraturum credo, si etiam consuetudinis actum a causis materialibus derivem, eundemque illis tanquam firmo fundamento superstruendū esse, jam demonstrare annitar. Omnes corporis humani actiones, quæ a temperamento suos trahunt natales, ita se habent, ut difficillime, immo sèpius nunquam alterentur. v. g. cholericus summo ix studio efficere potest, ut injurias vel alia adversa, eadē tranquillitate perferat: etenim cum fibris gaudet tenerioribus valde tensis: vid. HOFFMANNI *Physiol.* atque elatere magno præditis; in tota vero machina major solidi, quam fluidi copia excedit, (vid. BOERHAVII *instit.*)

D

flui-

fluida in corpore contenta motu quoconque oborto insigni velocitate per illius ambitum volantur, calor augetur, atque nervorum vis elastica summopere intenderunt: multa hinc cura opus habet, ut sibi caveat ab omnibus, quæ motus sui corporis exacerbare, sanguinisque calorem accendere possunt. Quando igitur ad rei cuiusdam siue actus, quem ante nondum exercuit, consuetudinem acquirendam sece accingere vult cholericus, suadendum est ipsis, ut parcus utatur, vel plane evitet, quæ temperamenti exastuationes irritare valent i. e. diætam sibi convenientem diligenter observet; de in quotidie in ejusmodi rebus sece exerceat, quibus iudicium acuatur, & præconceptæ opiniones ex falsa imaginatione ortæ eradicentur. Melancholici, quorum fibræ sunt rigidæ, serum viscidum alentes, sanguis multis particulis crassis tartareis refertus, uti ad omnes actiones, ita quoque ad novas, eorum temperamenti insolitas subeundas parum sunt idonei, & plus requirunt temporis, antequam ex sua sece recolligant segnietie, & ad maiorem activitatem habiles reddantur: unde iis screbrior & successive auctior corporis exercitatio, potus largior & spirituosior, cibi non admodum duri, nec nimis molles, satis saliti, & usus aeris levioris sub cœlo puriori solerter commendari debent. Ad actus consuetudinales haud dubie omnium facilissimi sunt temperamento gaudentes sanguineo, quorum fibræ motui solidorum haud multum resistunt, & quamvis sint satis sensiles, facili tamen negotio intensitatis vis iterum extinguitur, unde vario modo flecti possunt, & dum iusta sanguinis, ceterorumque humorum crassi fruuntur,

cur, quæ ab æquabili circulatione derivanda, omnes secretiones justo absolvuntur tempore, quas denique promptior sequitur excretio. Hinc est, quod sanguini semper bono sint animo, alacres in agendo, & variatione delectentur; in principio quidem ægre ferunt adversa, sed mox illis adsuescunt; ob flexilitatem scilicet & mobilitatem fibrarum, quippe quæ multa pinguedine obstatantur, continuoque ab eadem emolliuntur, corpus ad motus quouscunq; edendos fit idoneum. Nemo itaque non videt, paucissimos tantum esse, qui novam admittunt corporis sui determinationem sine insigni œconomia vitalis alteratione; temperamentum vero plurimorum tanta pertinacia reniti, ut omnes fere conatus reddantur frustranei.

§. XVII.

Cum omnia, quæ in mundo actum consequuntur, rationem in se continent sufficientem, cur potius sint quam non sint; sequitur, quod tali modo sint constituta, ut mutationes, quæ ipsis accidunt, ex eorundem structura, textura, figura, atque mixtione, nec non combinatione & relatione ad se invicem, indesinenter fluant. At ponamus, existentiam eorum destitutam esse ratione sufficienti, tunc a somnio amplius discerni nequeunt; unum alteri substitui potest, salva totius substantia; nulla relinquitur differentia inter causam & effectum; neutrum est prius vel posterius, non datur simplex aut compositum, & sic quo minus universum in chaos plane obscurum concidat, nihil obstat. Sed regeris, multa tamen quotidie adhuc fieri, quorum origo nec in causis physicis, nec in mechanicis quærenda

e. g. quis argumentis firmis & indubitatis ex natura atque conditione rei affirmare valet , cur fœtus in utero materno a terrore gravidæ , stigmate objecto , per quod terror illatus fuit , magna ex parte simili , eandemque fere cum illo speciem referente contaminari queat ? item cur quidam mox a nativitate aliquid aversentur , nec unquam consuetudinis beneficio eo disponi queant , ut tolerent , quod plurimi sine noxa ferunt , imo ipsos valde oblectat , qui effectus titulo idiosyncrasia salutatur ? Rem admodum arduam , & quocunque ratione eludentem te invenisse credis ; sed oblitum te esse puto , veritatum immutabilitatem non tuo niti intellectu atque sententia . Syllogismum sequentem minime ingreditur conclusio vera : Quicquid judicii mei limites excedit , istud intelligibili modo demonstrari nequit ; res in exemplis allatae ita sunt comparatae , ut limites mei judicii excedant , Ergo &c. Majorem falsitatem satis aperta laborare , nec te forsan latebit : ex falsis autem præmissis lequitur conclusio falsa . Tu quoque vegetabilium e terra proventum , metallorumque concretionem a priori demonstrare nescis , interim tamen de ipsorum ortus ratione physica minime dubitas . Quod perceptionem sensuum nostrorum fugit , hoc ideo non esse impossibile , ipse concedis . Ut autem te plane inscius non relinquam , qualis mihi de exemplis supra allatis sit sententia ; perpendas quæsto sequentia . Notum est , quando sentimus , motus quosdam in nobis & prælertim in cerebro sese exferere , qui rem sensibus perceptam quasi extra nos repræsentant : hæc repræsentatio nihil aliud est , quam motuum istorum ad cer-

certum tempus continuatio, per quod idea materiales
in substantia cerebri exprimuntur, unde nervi ad mus-
culos totius corporis abeuntes, vi sufficiente instructi,
hos ad agendum concitant, actionesve ideis illis con-
formes per eosdem producunt. Ita brachii vel pedis
extensio atque flexura statim insequitur, oborta in cere-
bro ejusmodi posituræ, cum actus ipsius cœxistentia,
idea materiali. Repræsentatio objecti amabilis in viro
vel fœmina affluxum sanguinis versus genitalia reddit
velocissimum!, omnesque ipsorum partes in consen-
sum rapit. Figuram corporis humani intra vasa sper-
matica, parastatas, testiculorumque substantiam effor-
mari, & in semine virili integrum jam contineri, in
utero autem foveri, nutriti, & ad incrementum succes-
sive majus capiendum servari, naturæ moliminibus
haud incongruum videtur. Cum itaque fœtus pro
parte corporis nutricis aestimari possit, ut ideo nutritio
rite procedat; neque formatio incepta confundatur,
necessæ est, ut motus in corpore matris exacte re-
spondeant motibus in fœtu excitandis. Quod si fiat,
partium homologarum in utroque requiritur anastomo-
sis perfecta, quæ percommode potest obtineri, si
ovariis muliebribus, atque placentæ uterinæ munus
hocce assignatur; illorum nempe ope nervi matris com-
municare queunt cum nervis in embryone, & in utris-
que fit eadem determinatio (jubente id principio ratio-
nis sufficientis.) Cumque primis diebus rudimenta em-
bryonis existant tenerissima, ac instar fluidi consideran-
da; mutationes translatæ erunt admodum sensibiles,
satisque distinctæ exprimentur, ut adeo conceptus de-

D 3

ima-

imaginis in corpore matris natæ in substantiam infantis transplantatione summam nanciscatur probabilitatem; neque scrupulus exinde subnasci debeat, quod via justo longior sit, quam ut motus in cerebro matris exorti usque ad cerebrum embryonis in utero pertingant; paragraphus enim octavus bene intellectus omne dubium facile removebit. Aequale judicium ferendum est de idiosyncrasia sive aversione hæreditaria; quicquid enim partes in corpore matris contentas dolorifice afficit, atque sensationem tristem in iis parit, idem ex prædicta connexione similem & in foetu lude-re potest fabulam; quoties igitur ejusmodi ingrata sensatio in corpore infantis reviviscit; toties nauseam & aversionem iterum expurgisci posse sequitur. Interim & hoc monendum venit, experientia invincibili nondum esse confirmatum, quod idiosyncrasia nullam plane permutationem, sive consuetudinem admittat: plurimi enim hominum præjudiciis corrupti curam decentem in eradicandis vitiis, præsertim iis, e quorum extirpatione dolorem metuunt, minime adhibent; sed philautiam utplurimum in horum actionibus magistrum stare, cognitum est. Multa nobis videntur tanta difficultate implicita, ut superari nequeant, quæ tamen fortiter suscepit & sepius repetita impossibilitatem elidunt, imo in ipsam consuetudinem abeunt.

S. XVIII.

Morbus dicitur is, corporis status, in quo vires ejusdem inter se dissentunt: e virium autem dissensu oritur resolutio eorum, quæ cohædere debent. atque concretio sive cohæsio a se invicem secernendorum; unde tan-

tandem motuum sufflaminatio, imo ipsa mors accersitur! Quod igitur morbo affuescere nequeamus, res admodum est evidens: quamvis vero non omnes morbi necem inferant, attamen vires valde debilitant, quæ antequam restituantur in integrum, non permittunt, ut corpus recta utatur valetudine. Quis autem illum sanum, vel modo ægrotandi assua factum putet, qui semper de morbo conqueritur. Si enim, qui frequenter decumbunt, habent plerunque corpus magis spongiosum, cuius textura laxior est, elatere fibrarum existente minore: quo fit, ut fluida rite secerni nequeant, namque solidis nimium resistunt, interstitia horum extendendo, variasque partes crassiores & specifice graviores in cavitates eorum transvehendo, hinc organa sensacioni dicata redduntur hebetiora, damnumque reliquis membris illatum parum resciscunt. De hujusmodi vero hominibus proprie dici nequit, quod sibi per consuetudinem habitum ægrotandi acquisiverint; consuetudo enim est virium tantum permutatio sanitatis adhuc integra relicta, minime vero earundem corruptio, siue plenaria destructio. Hinc frequentior est illa loquendi formula, die Krankheit ist gleichsam zur Gewohnheit worden, quam haec, er hat sich angewöhnt Krank zu seyn: ubi per vocabulum gleichsam consti-tutio vera ab apparente & falsa provide distinguitur: illa namque sensationem rei alienæ haud ingratam: successu temporis inductam pro sua agnoscit causa; ita ut nunc sine dolore atque incommodo perpeti possimus; quod alio tempore nobis erat valde novivum v. g. fumus Tabaci cuius usus alias nauseam, vomitum, & vertig-

tiginem crebat nunc magnopere delectat, & gratum palato exhibet saporem. In morbis sustinendis res longe aliter procedit, hic semper sensatio tristis & dolorifica affigit atque status adest præternaturalis; diversi quidem insultus mali aliquando observantur gradus; ita non nunquam in morbi principio major dolorum accusatur sævitia, quam in ejusdem progressu: interim tamen hocce discrimen non consuetudini, sed virium debilitati, qua perceptiones in cerebro obcæcantur, ideo quod sensatio magis distincta propter robur nervorum refractum simul deleatur, est accensendum. Hinc patet morborum frequentiam, consuetudini tanquam cause tribui non posse; nam consuetudo est affectio sanitati & integritati corporis prospiciens, morbus autem easdem lædit, imo penitus destruit.

§. XIX.

Quoniam dolor nihil aliud est; quam sensatio molestia, a fortiori tensione sive contractione nervorum pendens, eandem tanquam rem infensissimam averfamur, utque statim removeatur, anxie curamus. Omnis enim dolor diu durans, destructionem partis quam affigit, minatur, & simul vicinas inconsensum trahit: numerum itaque eorum, quibus assuescere possumus, ingredi nequit. At cum dolorum varii dentur gradus, quidam reperiuntur minus pericnlosi. ut in quibus robur solidorum injuriis illatis sufficientur resistit, & cum ob motum vehemtiorem affluxus humorum fit major, per novam appositionem illud insuper augetur, vique æquali ad versus quo sunque impetus deuuuo factos reagit, qno mediante sensus peregrinus in naturalem convertitur, tandem-

demque repetitis vicibus actus producuntur ex con-
suetudine. Exempla nobis suppeditant ii , qui corpus
suum exagitationibus insolitis, laborique graviori sub-
jiciunt, mox lassitudinem omnium artuum, dolorem-
ve in musculis tensivum, rheumatico similem accu-
sant, qui tamen crebris exercitationibus mitigatur, lap-
suque temporis penitus evanescit. Ita cutis præsertim
in manibus & pedibus, continua ad applicatione ad res
duriores, evadit crassior & exsucca instar corporu omni
sensatione privatur: simili modo quæcumque nostri
corporis partes, sepius illis utendo & patiendo, tan-
dem aliquando mansuescent. Quotidie nobis occur-
runt homines, qui ex frequentiori rei cuiusdam alienæ
usu novam sibi prorsus contraxere naturam, ut nunc
sine ullius doloris perceptione ferre possint, quod olim
anxie fugiebant, multaque detrectabant indignatione.
Qui potu ex spirituosis composito delestantur, eum-
que largiori dosi ingurgitando nomina herorum sibimet
acquisivere, nobis enarrare valent, quanto naturæ nisu
atque renisu, quibus vigiliis, rebellibusque ventriculi
& intestinorum motibus, aliisque æruminis innumeris in
hac arte comparandus sit habitus; in cuius rei causas,
si absque præjudicio inquiramus, easdem mere materia-
les, machinæ corporis humani analogas, inque ejus stru-
ctura optime fundatas deprehendimus. Calor namque
spirituorum calorem sanguinis nostri, fomitis instar
accedit, unde aëris in sanguine contenti vis elastica
præter modum intenditur, latera vasorum distendun-
tur, nervi elongantur fluidumque in eorum cavitati-
bus contentum exprimitur; interim fibræ omnes fiunt

E

flac-

flaccidiores, motus destruitur tonicus, & sic totius machinæ mobilitas pervertitur, & in aliam priore minorem transmutatur, hinc est, quod nunc sensatio longe majorem massæ copiam requirat, priusquam factum ex hac in celeritatem (i.e. vis activa) ad illum assurgit gradum, ut præternaturalis evadere, doloremque excitare possit. Pari ratione multæ adhuc alia res in corpus nostrum agunt, idem vel firmius & robustius reddendo, vel majorem ejusdem partibus flexibilitatem inducendo, modo usus eorum in principio non sit immodicus, sed successive institutns, sæpiusque repetitus. Etenim non ignotum est quosdam inter homines rebus quoque venenatis, ceteris multam noxam, immo ipsam mortem inferentibus assuefisse, nulla tamen alia conditio nisi illa, quæ jam in diversis thesibus commendata fuit. Hæc de ordine consuetudinis sententia, minime destitu a est virorum celebriorum consensu & approbatione, e quibus principem FRIDERICVM HOFFMANNVM allegare sufficit, qui in Physiologia Cap. de consuetudine, multisque locis aliis, dicti veritatem valide tuetur, atque luculentis ex sua experientia summis exemplis ulterius illustrat. Ex hac itaque simplici naturæ rerum explicatione nunc facile licet concipe re quonam modo sit possibile, ut sensatio præternaturales sine dolorifica in naturalem, immo consuetudinalem abire, novamque prorsus indolem induere valeat.

§. XX.

Dixi §. X. fluidum in solidorum interstitiis hærens causam esse, ut hæc moveantur: res admodum clara, nihilque monstri aut fictitii alens: namque illico indu-

indubius experimentis ad cuiusvis oculos demonstrari potest. Ad fluidum itaque, tanquam lapidem Lydium, omnium mutationum in corpore contingentium explanationem esse reducendam, sana suadet ratio. Nulla creaturarum ad nostram atmospharam pertinentium tot tantisque rerum vicissitudinibus obnoxia reperitur, quam ipse homo, utpote qui statim a primis incunabulis novis semper circumdatur rerum inter se alternantium myriadibus; nihilominus machina ejus perdurat, nova quotidie capit incrementa, & ad certam usque assurgit molem, quam insuper sat diu immutatam tetur. Quæ si oculo tantum fugitivo intuemur, produeta consuetudinis per usitatam loquendi formulam salutamus: ast cum ordine decenti super eadem reflectimus, a materia corporis humani mobilitate, ob fluidum in illa contentum ejusmodi phœnomena originem suam ducere, quilibet facile intelliget. Materia, quo magis est homogenea, eo fortius partes e quibus conflatur, inter se cohærent, & juxta se invicem quasi immotæ quiescent; unde simul ad movendam sit ineptior, commota autem majori cum impetu in objecta quævis occurrentia impingit. Etenim quia homogenea eodem modo sunt determinata, directionem quoque supponunt eandem, sed directio eadem mutationis expers est: consequenter cum omnis mutatio requirat motum ex diversis directionibus compositum, immutabilitatem eidem resistere, conditio propositionis dicitur. Si itaque cohesionem materiae minorem meditaris, homogeneitatem hujus auferendam simul cogitas, quod fieri potest addendo partes heterogeneas, & sic mobilitatem

materiæ majorem obtinebis. De ipsis rei veritate te-
stantur experimenta physica, in primis processus chy-
mici. Sic aqua, quam æstate videmus fluidam, prop-
ter calorem illius interstitia perlabentem, inque varias
particulas distinctas quasi diffidentem, tempore hy-
berno, recedente caloris æstu, congelascit, & in cor-
pus stabile convertitur; quod vero statim pristinam re-
cipit fluiditatem, quam primum calor sufficiens acce-
dit; idem contingit cum multis adhuc aliis corporibus.
Terras emortuas omnibus particulis heterogeneis, ut
salinis, sulphureis, aqueis orbatas, difficultime vel pla-
ne non liquari, exhibito licet intensissimo ignis gradu,
chymicis perquam notum est: hinc si quis harum li-
quefactionem seu fusionem intendit, ut ex particulis
recensis quasdam addat, processus requirit. Ex qui-
bus porro colligimus, materiæ quietem sive determina-
tionem simplicem homogeneitatis esse fundamentum.
Corpus humanum quando perpetua fructur tranquill-
tate, jugique otio deditum est; adhæc semper eodem
utitur vita & amictu, nec locum habitationis unquam
mutat, fluida alit quoad maximam partem homogenea,
unde nutritio oritur valde simplex, solidorum cohæsio
major, quam sequitur fibrarum rigiditas, hebetudo
functionum cerebri, stupiditas denique, omniumque
artuum torpor. Homo tali corpore instructus difficul-
ter assuescit alienis, cum alias, qui mox a teneris in cor-
pore suo varia experitur tam amica quam inimica, ad
quascunque actiones redditur habilior: ex perpetua
enim massæ alteratione nascitur corporis mobilitas au-
cta; nam partium fluidarum cohæsio nimia impeditur;

foli-

solidarum vero motus tonicus propter continuam illorum in se invicem actionem & reactionem promovetur, & per consequens elater fibrarum intenditur, ac omnes denique musculi ad patiendum agendumque emergunt validiores ac agiliores. Quicunque igitur habitum omnibus assuescendi sibi conciliare cupit, is nihil illibatum sive intactum relinquere debet.

§. XXI.

Expositis sic genio & indole consuetudinis, recto tramite progredimur ad contemplationem usus, quem intuenda vita perfectione praestat. Homo, qui machina sui corporis omnes reliquas antecellit creaturas, maxime de hoc gloriari potest, quod non modo intellectu, majorique rationis gradu cetera animalia superet, sed quod praeterea tam mira artuum fabrica instructus sit, cuius vi actiones innumeris inter se prorsus diversas edere, & ad sui ipsius commodum applicare valet. Quando miraculosum cerebri technophilaceum consideramus; creatoris sapientiam cum ejus potentia merito veneramur; interim paucissimi notitiam ne quidem obscuram defunctionibus cerebri possident; & plerisque incredibile est globum hunc tenerum lubricum atque mollem, tot in numeros continere posse incolas, ideas puto rerum externarum, totum mundum in se comprehendentium, quæ quoties ordine naturali provocantur, integro schemate in scenam prodeunt; ab ipsis totius corporis pendet directio; idearum enim claritas sive repræsentatio objectorum distincta in cerebro sensationem sanitatis perfectissimum moderatorem, instar fœcundæ matris excludit. Cum vero nexus uni-

E 3

ver-

versi exigat ut semper existentia unius effectus sit alterius; idex quoque, imo ipsa sensatio existere nequeunt, nisi prius motus in organis sensoriis factus antecesserit. Hæc organa a conditore insigni mobilitate atque soliditate incomparabili sunt adornata, ita ut contactu lenissimo tangentis imaginem usque ad cerebri substantiam promoveant, neque ab intensissima vi externa destruantur, in quo totum consuetudinis mysterium celari existimo. Quantum exinde levamen in machinam humanam resulteret, jam dudum omnis aevi eruditis fuit perspectum; CICERO Lib. 2. *Tuscul. consuetudinis*, inquit, *magna vis est, pernoctant venatores in nive, in montibus ubi patientur, nam ferre calorem, contemnere vulnus, consuetudo docet.* PLINIVS de ipsa prædicat eandem facere, ut diutina mala feramus. Quilibet propria experientia, de magna amplaque utilitate, quæ ex consuetudinis beneficio ad omne vitæ genus redundat, convictus est. Primo statim momento, quo nostros in hoc mundo aperimus oculos, ingens objectorum diversissimorum copia illis occurrit, per quam organa visus modo centumgeminio, & quidem uno impetu tanguntur. Cui latet, sensus nostros per totam vitam quotidie a mille alienorum myrmeciis affici & simul affligi; neque tamen minus ab hac multiplice fluctuum collisione inconcussum persistere structuræ ejus fundamentum. Quis quæso inter homines reperitur, qui non inconsuetis adsuescere cogatur, quæ si sua facere non liceret, proh! deum immortalem, ad quem miseriæ gradum vita hominis non posset assurgere. Quoties enim non sumus expositi ejusmodi circumstantiis, ubi tam ratio-

ne

ne victus, quam locornm mutationis, novæ prorsus & incognitæ regulæ nobis præscribuntur ; nihilominus brevi morem iis gerere discimus, adeo, ut sanitas cum vita perdurare queat. Bene itaque nobis consulitur, si occasio suppetit, ut non uni aut alteri tantummodo, sed pluribus rebus assuescamus : uniformis enim consuetudo, ut cum Galeno loquar, periculosa est, cum omnes inopinatis rerum fortibus subjiciantur. CEL-SVS salutare consilium dedit, *sanus homo, inquiens, qui bene valet, nullis se obligare debet legibus, sed varium habere vitæ genus.* L. I. Cap. I. Cum enim non semper genio indulgere liceat, prudenter agimus, si aliorum quoque moribus studeamus. Multi non modo sanitatis, sed ipsius vitæ periculum saepius subire coguntur, ideo, quod nullum alium nisi paternum decalogum vereri didicerint ; cum e contrario is, qui aliena etiam fistula canere fuit eductus, varias eluctari poterit insidias. Vitam igitur magis securam, & a multis gravioribus noxiis liberam ducere possumus, si mox a teneris statum nostrum, variis adsuescendo, reddamus perfectiorem. Possem adhuc quædam de abusu consuetudinis, quem in foro medico deprehendimus, addere ; at cum vereor, ne nimis prolixus sim & limites dissertationis transgrediar, pedem figo, summumque Numen veneror, quod sufficientes huic labori mihi largitum est vires.

F I N I S.

Nun

Sieht mein FREUND die schöne Zeit;
Da Sein Verdienst den Preis gewinnet,
Und Meditrimens Billigkeit
Auf Seine Wohlfahrt eifrig sinnet.
Sein Vorbeer-Cranz ist schon gemacht;
Mein wallend Herz wird aufgebracht;
Was Ihn vergnügt, ist mein Ergözen.
Ich gebe meiner Regung statt;
Ich will, ich muß durch dieses Blatt
Ihm meiner Liebe Denckmahl setzen.

Doch mitten in der größten Lust
Besält mich auch ein zärtlich Leiden;
Die Sehnsucht wirkt in meiner Brust:
Ach, FREUND! so wilst Du von mir scheiden?
Zeuch hin! Das Bündnis unsrer Treu
Ist stark, ist fest, reißt nicht entzwey:
Hier wird kein falscher Erieb gefunden.
Geh, eile, hole Ruhm und Glück;
Denk oft an Deinen Freund zurück:
O sanffter Umgang! süsse Stunden?

So wollte seine ungeheuchelste Freunde an den Tag legen
des Herrn Candidatens getreuester Freund
und Diener

Johann Victor Krause, aus Halle
B. N. C. und Mitglied der Deutschen
Gesellschaft zu Leipzig.

Ung V 8

ULB Halle
001 516 264

3



sb

6018
VD17

Z

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



8
7
6
5
4
3
2
1
Inches
Centimetres

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
SISTENS MEDITATIONES

DE

VI CONSVETVDINIS RATIONALITER EXPLICANDA

QVAM

P R A E S I D E

D. JOANNE HENRICO SCHVLZE
MEDICINÆ ELOQVENTIÆ ANTIQVITATVM ET
PHILOSOPHIÆ PROFESSORE PVBlico
ORDINARIO

ACADEMIÆ CÆSAREÆ NATVRÆ CVRIOSORVM ET
REGIÆ SOCIETATIS SCIENTIARVM BERO-
LINENSIS SODALE

PRO LICENTIA

GRADVM IVRA ET PRIVILEGIA DOCTORALIA
LEGITIME OBTINENDI

a. d. Novemb. M DCC XXXIV.

PVBlico ERVDITORVM EXAMINI SVBIICIET

AVCTOR ET RESPONDENS

DANIEL GOTTFRIED MVLLER

LIGNICENSIS SILESIUS.

HALAE MAG DEBURGICAE

Typis JO. CHRIST. HILLIGERI, Acad.Typogr.